Franc. Marius Grapaldus. P.
Reuerendo & Clarissimo Bonifacio Vallensi
Iur. cõsultissimo & Cõmissario apostolico
Mecoenati suo.
Salutem.

P rælectio mea illa tumultuarie (ut nosti) habita/ tibi debetur/ & mittitur/ qui doctus bonã amas mentem: Si aures non offendit cum audiebas/ displicituram cum legeris non est quod uerear: Vtcũq; erit amoris tamen & obseruantiæ erga te meæ qualecũq; testimonium. Vale fœlix mei non immemor.

SI MORTALE Genus ex corporis molle terrena/ & animi ſublimitate quodãmodo diuina conſtare non eſt qui negare poſſit qui audeat qui uelit/unde infima/humilia/& caduca illud appetat/Is uero ſublimibus arduis æternis ex natura inhiet quando principium ſuum ametur ſequátur& uniuerſa/ Iure & merito(ut mihi uidetur)dánandi ſunt qui corpori tantũmodo ſtudent/qui corpus ipſum curant ornant& nulla animi(quod brutorum eſt proprium)habita ratione:Et ii pfecto ĩ animal irrationale tranſire uidentur ut tranſeunt etiam ſi hominis ſortiti ſint effigiem/ut qui humo diuinæ auræ particulam affigunt:Molle corporis & uinculo impeditus animus per ſe quicq̃ non poteſt/qui alias liber omnia fere poteſt/omnia intellegit:Hoc uno nãq(ut cætera omittamus)fateri cogimur/ſine doctrina ſcire nihil genus humanum/qa loqui ſermocinari ue niſi fuerit edoctum niſi alium audierit ſciet nũq̃:Poſtq̃ igitur animo in carcere corporis conſtituto doctrina eſt neceſſaria/uiſum eſt operæpretium nec a b re alienum enerui & inculta(quod uereor) hac mea prælectione torpentes/tepidos/ frigeſcenteſq excitare/animare/ accendere/ ad litteras bonaſq diſciplinas capeſcẽdas/animatis uero iá/ & ſponte currẽtibus calcaria admouere/ut animo excultiore ex hominibus ĩ uiros tráſeát & uiros mediusfidius cæteris candidiores/utiliores præſtantiores.

Naturam parentem optimam ſiue potius deum libeat apellare compluria generi humano moſtraſſe & optima & laude digna manifeſtarium eſt:Inter quæ(ut hinc exordiar(Reuerendiſſime Gubernator Reuerẽdi Magnifici & Clariſſimi Viri qui ad audiendum conueniſtis:res habetur ruſtica uictum pbens hominibus:hæc taurorum colla aratro inuẽto ſubdere/hæc tellurem pſcindere:hæc ſerere docuit/hæc meſſe ſpicilegioq factis/in horrea fruges cõdere/pultem antiquiorem & mox panis alimenta Zithum ceruiſiam tot uina/tot mala inſerendi genere mitiora in uſum mortalibus præbuit. Sed quid erat ſine litteris? Cenſetur & mercatura a poenis(ut ferunt)inuẽta per quam hoíes gleboſo camporum ſalebroſo uiarum/ & longo pfundi maris interſtitio diſiuncti/familiaritatis inter ſe cõtrahunt cõmercium/ multarum urbium gentiumq:mores uident/ & non ſine lucro uoluptatem uaria periclitandi cognoſcendiq ſentiunt. Piper Ebur Ebenus/Succina/Coralia/ Margaritæ/ Elenci / Vniones/Gemmæ/tot aromata tot medicamina/tam multiiugæ opes in uſus noſtros/Opobalſamum & thus ad diuinos cultus

arcanaq; mysteria cōuehuntur. Sed qualē tamē dixeris absq; litteris? Maximum ꝑfecto & illustre quid res est militaris quæ subditos parere legibus cogit superbis resistit seditiones cōpescit imperia/regna ꝑpagat/ ignobiles illustrat/Illustres diuis adnumerat/non oēs tñ/sed eos quos litteræ prudentiores reddiderunt ac magis atq; magis illustrauerunt:Refertissima sunt exemploꝝ ad hanc rem historica monimenta/occurrunt in hoc genere Fabii Scipiones Marcelli Catones Metelli Lucullus Sertorius Pompeius magnus Iulius Cæsar/Cæsar Augustus/Cesares Titus/Vespasianus Neruæ Seuerus Innumerabiles alii etiam externi:Themistocles Cimon Aristides Pericles Alcibiades Epaminūdas Agesilaus &(ut cæteros taceā)Magnus ille Alexander qui malle se litteris q̄ armis & imperio reliquos antecellere dicebat:Aristoteli ꝓceptori magis q̄ Philippo patri debere se se testebatur/& eūdem ob hauitam ab eo doctrinā æque ac Philippum uenerabatur: Sciebat enim maximus ille imperator Duci exercitus litteras non aliter cōducere q̄ ingenii acumen diligētiā animi magnitudinem stratagemata & prudentiā/ a quibus ut plurimum bonus euentus & inde salus/inde gloria. Non silenda quoq; architectura:qua splēdide/cōmode/salubriter habitamus: cū ante illam gurgustiolis e paleato luto :uel domibus sine ordine/ sine lege/sine decore positis uix tegeremur. Vide quid & quantum Architectura ex Thasi/Diathesi/distributione/Symetria/Eurithimia/& decore contulerit:sed has ipsas partes illiteratus architectus uix cogitabit: uix inueniet: utpote ab historia/Geometria/Arithmetica/Astrologia Musica medicina pendētes/ & illis coniunctæ. Possem & alia cōnumerare/ sed in re apertissima multis uti superuacaneum est. At dicetis fortasse:pictores:statuarios:scalptores/fabros/ærarios/ferrarios/stamnarios/argentarios / lignarios / murarios/ sutores/sarcinatores / coriarios /alutarios/bibliopolas/spetiarios/herbarios: myropolas:hippiatros/uetertinariosue:& quicquid est opificum & artificū cerdonum institoꝝ atq; mangonum/ absq; litteris & sibi & patriæ posse cōferre. Hoc equidem ipse non negauerim/ uerum ornamento & cōmodo illis fore litteras quis uestrum inficiari audebit/quis unq̄ poterit: Nam notarii/scribæ causidici/pragmatici medici/iureconsulti/philosophi sacerdotes sine litteris quomodo quoue iure inter sacerdotes/philosophos/iurecōsultos medicos/pragmaticos/causidicos/scribas/notarios cēsendi sint nō uideo. Litteræ non impediunt domi non foris:non in officina: exulem sequuntur/ cum naufrago enatāt/iterdiu adsunt insepabiles/ nobiscum noctes pernoctant:&(ut ille inquit)peregrinantur/rusticantur/negociantur / adimi sine uita non possunt/fortunæ non subiacent/ ornant aīum/ ingeniis adminicula sunt/omnia condiunt/leuant aduersa/prospera tolli supra modū non sinunt

ex mortalibus reddunt imortales: pueritiam cōmendant: Iuuentutem honestant: senes oblectant solanturq;. Tanta bona cognoscimus: & in medio posita (quæ nostra est dementia) appræhēdere non curamus/neminem ipsæ humanissimæ dedignantur: Loripedes etiā claudos/cæcos/informes/abiectissima mancipia/ & perditissimos quoscūq; benignissimæ admittunt: Cleanthem qui ab exhauriendis puteis phreanthles est cognominatus stoica secta nō exclusit: Phryx ille Aesopus apolographus deformitatē innatā pulchritudine litterarū obūbrauit: Polemon adolescēs nepotatu pditus ex insigni helluone maxius breui philosophus apparuit: Cādidæ faciles & patentes litterarū ianuæ/penetralia candidiora: amœnissimaq;/& omniiuga uoluptate omnibus bonis refertissima sunt. Hinc megarensis Euclides i geometria postea facile princeps tanto illarū flagrauit amore/ut cum sanxissent Athenienses pœna capitis/ne quis megarensis athenas ingredi auderet/uestes fœmineas idutus clam noctu per xx. milia passuum tā longo itinere ad Socratem nō sine maximo uitæ discrimine accederet/& cū illo habito sup litteris colloquio sub ipsum crepusculum domuitionem capesceret.

Plato quoq; & Eudoxus non contenti græcas didicisse disciplinas (Pithagorā omitto) in ægyptū transiuere ut sacerdotū arcana cognoscerent: mox Plato in Italiam: & Pithagorica ab Archita/Tarentino dogmata percepit. Altero quoq; & lxxx āno decedēs/subditos capiti Sophoclis hymnos habuisse memoratur: ut ne hora quidem eius nouissima studiorū expers fuerit:

al. Maximi. Cato ille Censorius/licet sero ad litterarū studia animum appulit ac prope senex litteras græcas erudiri uoluit: Et gloriā haud mediocrem doctrina eloquentiaq; partam cum habuisset/id elaborauit/ut iuris quoq; ciuilis esset cōsultissimus: A spectaculis/a ludis oculos inani uoluptate demulcētibus/q̄ multorū est insania/non quéq̄ pudor retrahit/sed in theatris i orchestra ad podium puelli & iuuenes ingenui senes etiam periphoreti ac uiri pricipes totum fere diem sedent male feriati: ad ludum gladiatorium ad ludum saltatorium frequentes properant. At in ludo litterario/in doctrinarū diatribis in q̄bus animus pascitur/in quibus homines renascuntur/pauci (proh pudor) sedent/pauci præ pudore uisuntur. Et eos plerīq; existimāt nihil boni negocii habere quod agant/inertes/micropsychi desides uocantur/uerum ad uirtutem properantibus quid friuola & contemnenda/ut gerræ siculæ uulgi conuicia?

Sed obiiciunt (ut uideo) ociosi frugiperdæ qui litteras qui mercationem/qui politica exercitamenta/uirtutesq; oēs aspernantur. Vitæ spacium breue atq; tēpus exiguū quod arbitrant. Et iure qdē breuis uideri illis potest uita/qui bonas horas perdunt/manum sub axilla ut i adagio est tenentes/qui in ton/

ſtrinis totos dies uel audiunt uel recitant aniles fabulas/& mera nugamenta qui in ganeis & luſtris nepotantur/alea ludunt uolutantur in uenerem/ nec orientem ſolem uidentes nec occidentem: atq; ita neſciunt/ hoc pacto non uident ſatis longam & in maxima℞ ut inquit Seneca re℞ conſumationem datam eſſe uitam largiſſime:ſi tota bene collocetur. Vbi nâq; p luxũ marco rem deſidiam effluit:ubi nulli rei bonæ impenditur quam ire non uidimus: tranſiſſe ſentimus. Id eſt ꝑfecto id eſt ueriſſimum:nõ accipimus breuem uitam ſed facimus/nec inopes eius ſed prodigi ſumus:illa bene diſponẽti multum patet. Chryſippus philoſophus ſtoico℞ cũ zenone merito princeps libro℞ uolumina ſupra quinq; & ſeptingenta:at quattuor milia Didus ille grãmaticus ſcripſerunt. Gorgias Leontinus extemporalitatis auctor/ omnium ætatis ſuæ in litteris & arte oratoria præſtantiſſimus: cui ſtatua ex auro ſolida primum delphis eſt poſita:quacũq; de re ſe dicturum auſus eſt publice profiteri. Quid de re℞ natura conqueruntur? ipſa nobiſcum bene egit:bene ſe geſſit. Vita modo ſciant uti longiſſima eſt: Verum in uita uiui & uidentes/mortui ſunt:uel uiuere incipiunt cum deſinendum eſt ſemper in craſtinum recraſtinatores maximi ſana differentes conſilia.

Nos uero Reuerẽdiſſime & prudentiſſimi auditores qui iam diu uiuere cœpimus/qui uiui uiuimus/& uere uiuimus uitam uſq; & uſq; habita ratione animi/quod aſſolent prudentes protendamus: Solon primus inter græciæ ſapientes addiſcere ſe quotidie aliquid cum uoluptate ſeneſcentem aiebat: Et uticenſis ille Cato ne in curia quidem dum ſenatus cogeretur temperauit ſibi quo minus græcos libros lectitaret/qua certe induſtria apertiſſime oſtendit/aliis ut ille ſapienter dixit/tempora deeſſe/alios ſupereſſe temporibus. Val.Maximi.

Poſtq̃ igitur diſcẽdum eſt q̃ diu uiuas/ac uita ſuppetit ad maxima & ardua quæq; obeunda/poſtq̃ litteræ neminem dedignantur:& tanta bona ſecum apportant/omnibuſq; uel neceſſariæ ſunt/uel optima & pulcherrima adminicula/poſteaq̃ animo corporis nexu impedito eſt opus doctrina inſtitutio/ neq; ut ex Cleantis ſententia diſtet a belluis: Eia agite eia inquam ad litteras animum intendite/litteris animum informate litteras ardentius diligite amplexaminiq; in litteris ſit ocium ueſtrum:ueſtrum ſit negotium: Ad doctrinam introeundum eſt illius penetralia adeunda:non eſt alimine ſalutanda:Illam ueneramini/illam ut diuam adorate/cum illa dapes ambroſias guſtabitis/& nectarea pocula bibetis. Me ut quantulum cũq; habebitis adiutorem fautorem admiſſionalem: Spondeo uobis priuatam operam/quãdo publicam debeo:

Inuitet uos quoq; temporum fœlix conditio:Pax foris domi cõcordia:litte

rarum fautrices cognatæ amicæq sunt/fauent & doctrinæ doctissimi principes nostri:doctis ut optima presidia opitulantur/de eruditisi ut beniguissimi bene merentur: Nostis ipsi qualis & quantus sit Io.Gozadinus gubernator oculatissimus multiplici ingenio/integer/magnanimus doctissimus/eruditorum dilector & cum grauitate maiestateq humanissimus: Possum & pergere:sed nollo uideri palpare presentem adulari audienti:licet in ueris nusq cadere possit adulatio: Vero autem ueriora sunt quæ olim ad illum scripsimus exasticho.

Gozadine fauent tibi numina:cœpta secundant
Plurima:nec miror numina numen amant:
Integer & doctus non est numine:dulcis
Stat Pitho in labiis/pectora candor habet.
Consilium hæc maiora facit/sed candida uirtus
Cuncta regit/paucis gloria tanta uenit:

Erat hoc loco laudibus merito extollēdus Diuus Iulius Pont.ter maxumus cuius raræ aī magnitudini prudētiæ fortunatissimæ munificētiæ omnimodæ debeo ego quicquid possum & quicquid nō possum/debet & uniuersa nostra hæc ciuitas:nostra res publica/debet Ecclesia:Erat īquā Diuus Iulius a me iure laudandus/nisi ad Leonem X.Pont.Max.optumum corporis animiq dotes & in primis litteræ in eo excultissimæ animum meum linguāq meam diuertissent. Ingenio perspicacissimo animi magnitudine cæteris cognita Gallis cognitissima/litteris græcis & latinis compositissimis: & quæ omnia condire solet omnia perficere potest Sanctissima philosophia spectatissimus pontificatum tenet & meritissime tenet atq optime his ipsis principiis moderatur/breui breui in lucem daturus quid & quantum a pontificatu conceperit. Non florida Florentia illi patria/non stirps nobilissima/non principum necessitudines & amicitiæ innumeræ/non amplæ diuitiæ/quæ omnia eum illustrabant/eum extollebant/neq casus/ut ante illū plurimos ad tantum fastigium euexere. Verus est pastor/uerus pontifex: una uirtute pontifex/& pontifex paucorum pontificum. quicquid uel a natura uel a uirtute fortuna ue expectari potest id omne cumulatissime est cōsecutus:Vnde Leonis decimi non temere nomen accepit: Mare supra decimum fluctum non extollitur:Ouum decimum quæcūq alia non æquant non superant:In uno Leone pontificum sub hoc nomine qui sederunt uirtutes omnes quas legimus/Eloquium/doctrina inuictus animus/munificentia/modestia/pietas religio sedem posuerunt/& cum aliis uirtutibus Illustri genti suæ medicæ peculiaribus cohabitant/atq ad ipsum amandum obseruandum colendum adorandum in omni obedientia:omnes facile inuitant

impellunt: Vt doctiſſimus doctos diligit/ Vt doctis fauet/ de ingegenioſiſſimus pontifex q̃ bene meretur: In urbem eruditi omnes [illegible]unt: ab eruditiſſimo pontifice ſtipẽdio donantur/ honoribus & ma[illegible]ibus decorantur: In urbe florent uigentq́ ſtudia litterarum: com[illegible]ntur (uidimus ipſi) Gymnaſia/ Muſæ ditatæ canunt optima & miranda/ quã do honos & ꝑmiũ alunt artes/ & quod nos olim/ Aera parant animos/ æra recepta canunt: In uno Leone pontifice & ſpes & ratio ſtudiorũ eſt maxima tantum: Felicia tempora a tanto & tam felici pontifice cuius & ſubditi felices: fœlix Parma fœlix inq̃ atq́ iterum fœlix: & felicior profecto ſi felicitatem tuam agnoſceres: Regium Lepidi & Placentia hinc atq́ illinc tibi cõterminæ dulciſſimæ matris eccleſiæ lac dulce prægustarũt Tu dulciſſimum ĩ amœniſſimo ouili poſtea deguſtaſti/ guſtas quotidie/ atq́ ne timeas multo tempore es cum gaudio guſtatura: At uero non æque felices/ quæ in caprilibus & aliis ſeptis pilum contrahunt duriorẽ & ſæpiſſime rariorem: Conſideremus optimi ciues conſideremus oro qui ſimus & dicamur: barbam pectori apponamus: & inueniemus nihil nobis deeſſe/ niſi unum & unum deeſſet: Aureã maiores noſtri Parmã dixere quia cãpos ut opinor pingues habeat/ Colles uberes riuos fœcũdos/ a torrẽtibus Nicia Parma Bigantia Cinga Taro arenam ſabulum lapides calcem ad ſtructuras deferentibus flumen Padũ nauigabilem/ Stagna piſculenta/ læta paſcua Siluas ceduas/ Bucera plurima/ Frumenta optima/ Vina non unius generis generoſa/ Salẽ e muria/ oliuum/ lina & alias ruris opes/ ita ut pleno Parmæ ſe diffundat copia cornu/ & inde ſperare quodãmodo poſſis quod de ſamo dixit Menander lac Gallinaceum: Adde cæli temperiẽ adde tot hortos ſuburbanos/ tot Villas/ tot Pagos/ tot pretoria magno ſumptu egregie decenter poſita/ tot oppida nobilium ciuium munitiſſima:

Omitto urbis ipſius priuata ædificia ad utilitatem ad uoluptatem extructa/ Aedes deorum immortaliũ non infabre erectas & illam præ cæteris in qua die Luſtricio per aquam nomina ſortimur/ Forum pulcherrimum ſtrata uiarum ampla ad libellam cum ſplendore & ſalubritate ſilicata: Adderẽ tantæ gloriæ niſi uobis notiores eſſent q̃ mihi ſacerdotes copioſos horariis ad Dei maximi cultum officiis aſſiduos/ & uirtutibus quæ in eum ordinẽ cadunt ex parte maxima eximie laudandos: Iuuẽtutem numeroſiſſimam/ ſenes uenerandæ Caniciei & prudentiæ/ Medicos equites iuriconſultos non paucos/ ciues pleroſq́ omnes ſpetie habitudine formoſiſſimos/ ingenio armis probitate fide famigerabiles: Quales dii boni in urbe noſtra gemmarum ſcalptores/ ſtatuarii aurifices lignarii fabri & ſegmẽtarii pictoreſq́/ Opticen Anaglyphticen: Triglyphticen Catagraphicen Toreu

ticen probe callentes:q̃ boni fussores etiam tormẽtarii? Sed [illegible]
singula? multos habet quælibet ars: uel unum (nostis ipsi) p[illegible]
Accedant accedant & litterarum cuiuscũq; generis ornamenta/ [illegible]
primum appetẽda/ ornamenta cæteris omnibus presc[illegible]enda: atq; [illegible] pre[illegible]
tiora quo animus est corpore præstantior: alter alterum inuitet/ uolentes iu
cat: trahat nollentes: ut liberalibus disciplinis poetica iuris ciuilis & põtifici
scientia: medicina: philosophia: multo plures q̃ nunc habentur exculti: quã
do æterni nõ sumus/ & sibi & patriæ sint ornamẽto/ gloriæ/ & utili[illegible]
q; Parma ab omnibus meritissime nunc & in posterum ex omni pa[illegible] Au
rea nuncupari:
Cogitanti autẽ mihi Reuerendissime optimi & clarissimi auditores q̃ po[illegible]
mum lectio post Horatium quem quotidie frequẽti auditorio publice pro
fitemur ad rem faceret .P. Virgilii Maronis Georgicon occurrit in quo de
agri cultura in primis cum agatur omnia ad animi culturam a qua sumus
orsi facile deducemus: Proscindere terram: erit prima litterarũ in animo
mittere fundamenta: bene arare: bonis litteris animum instituere: bene ster
corare eloquẽtiam doctrinæ addere: Serere autẽ (ut alia omittamus) merito
dicemus: illa omnia in memoriæ cãpo ut tellure pulla tenera & optima con
dere: quo fructus inde capi possint ad usum cũ uoluptate uberrimi.

MC